



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 5. De corrigenda nova Liturgia actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

§. V.

Sæcul. XVI.

De corrigenda nova Liturgia actum.

A.C. 1551.

Hi erant articuli, ad quos sub verbis
admodum succinctis tota demum
Anglicanæ Ecclesiæ secta reducebatur,
postquam autem hæc fidei confessio hoc
modo concepta, atque ab universo Cle-
ro acceptata fuerat, in id incumbebat,
ut nova etiam Liturgia adhucdum re-
cognosceretur, atque a mendis expur-
garetur, simulque varia non nisi ad ali-
quod tempus recepta delerentur, ac
tandem in præcipuis etiam articulis in-
gens fieret mutatio; quippe quoti-
diano Officio inferebatur generalis pec-
catorum Confessio, simulque præcipie-
batur, ut ante communionis Officium
alta voce Decalogus recitaretur, eum-
que populus flexis genibus exciperet;
præterea in Extrema Unctione, & Con-
firmatione usus Sacri Olei fuit abolitus,
atque ex Communionis, ac mortuo-
rum Officio preces pro animabus de-
functorum expungebantur, nec minus
in Eucharistiæ Consecratione plura im-
mutabantur verba, quæ Præsentiam
Corporis Christi adstruere videbantur:
Insuper ritus, vi cuius S. Crucis signum
in Communione, & Confirmatione effor-
mabatur, fuit suppressus: cum autem
avita S. Synaxin flexis genibus reci-
piendi

Sæcul. XVI. piendi consuetudo prius fuisset retenta,
A.C. 1551. nunc per specialem quemdam articu-
 lum declarabatur, quod hic usus ut-
 pote ceteris magis demissus conservari
 quidem valeat, nequaquam tamen hac
 reverentia panem, & Vinum adorare
 intenderetur, eoquod id manifestam fa-
 peret idolatriam, aliunde vero nul-
 latenus credendum esset, quod vera
 Caro, & verus Christi Sanguis in Eu-
 charistia præsentes sint.

§. VI.

*Maria Regia Princeps huic fidei Con-
fessio obluctata.*

Universum ferme Regnum novam hanc
 fidei professionem nemine obluctan-
 te amplectebatur, sola tamen Maria
 Henrici VIII. & Catharinae Arragonæ
 Filia sese cunctis hisce novitatibus sub-
 mittere recusabat. Evidem spuri E-
 vangelii Præcones importunis etiam
 precibus ab ipsomet Cæsare sollicita-
 bantur, ut huic Principi liberum Reli-
 gionis Romano - Catholicæ exercitium
 concederent, illud tamen eidem tam-
 diu permittere renuebant, donec pro-
 gressu temporis Imperatoris amicitia
 regno maxime necessaria cognoscere
 iacet audiret a seculi usq. ad d. 1551.
 Ibaeq